HIERONYMUS. GENNADIUS MASSILIENSIS. AUGUSTINUS. RUFINUS AQUILEIENSIS

2. Viertel 12. Jh. Seite 60r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

secundam danielis uisionem. Et alia locutus est friuola. quae in catalogo
hereticorum necessario exponentur. c lxxi

SIMPLICIANUS. Episcopus multis epistolis hortatus est augustinum adhuc
presbyterum agitare ingenium. et expositionibus scripturarum uacare ut
etiam nouus quondam ambrosius origenis ergodioctes (i. exactor) uideretur. et
multas ad eius personam scripturarum questiones absoluit. sit et epistola
propositionum. in qua interrogando quasi discturus docet doctorem.

VIGILIUS. Episcopus. scripsit ad quendam simplicianum c lxxii
in laude martyrum libellum. et epistolam continentem gesta sui temporis
apud barbaros martyrum

AUGUSTINUS. Afer c lxxiii
hipponis regii oppidi episcopus. uir eruditione diuina et humana
orbi clarus. fide intemerata purus. scripsit quanta que nec inue-
niri possunt. Quis enim glorietur omnia se illius habere. aut quis tanto stu-
dio legat quanto ille scripsit. Edidit iam senex quod iuuenis ceperat
de trinitate libros xv. in quibus ut scriptura ait. introductus in cu-
biculum regis. et decoratus ueste multifaria sapientie dei exhibuit
ecclesie non habentem maculam aut rugam. aut aliquid eiusmodi. De incarnati-
one domini edidit idoneam pietatem. De resurrectione etiam mortuorum. si-
mili cucurrit sinceritate. licet minus capacibus dubitationem de
abhortiuis fecerit. katholicus permansit. c lxxiiii

OROSIUS. Presbyter hispanus genere. uir eloquens. et historiarum
cognitor. scripsit aduersum querulos christiani nominis. qui dicunt
ad defectum romane rei publice christi doctrinam inuectam libros vii.
In quibus totius pene mundi temporis calamitates. et miserias. ac
bellorum inquietudines replicans. ostendit magis christiane obseruan-
tie esse quod contra meritum suum res romana adhuc duraret. et pace cul-
ture dei pacatum teneret imperium. Sane in primo libro scripsit po-
sitionem orbis. oceani interfusionem. et tanais limitibus intercisum situm lo-
corum. nomina et numeros moresque gentium. qualitatem regionum.
initia bellorum. et tyrannidis exordia. finitimorum sanguine dedica-
ta. Hic est Orosius qui ab augustino pro discenda anime ratione ad
Hieronimum missus. rediens reliquias beati Stephani primi martyris.